

set; quippe qui ex ea, & loci situ, & maritima, qua plurimum Genuenses pollent, disciplina, haud exigua commoda in Italicis praesertim expeditionibus accepisset, nihil non moliri decreverat, ut amissa civitas denuo in illius potestatem concederet. Itaque Francisco Borbonio mandaverat, ceteris praetermissis, id unum curaret, ut detrectantes Genuenses, dicto regio obtemperantes redderet. Tria peditum millia antea, ut diximus, quo Genuae rebus subveniret, missa fuerant: ii ob stipendia statutis temporibus minime persoluta, iter ingredi abnuent: inde Theodorus Triultius, qui arce detinebatur, multis undique difficultatibus circumseptus diutius se sustinere non posse, deditionemque facturum, ni cito subsidia acciperet, significabat. Borbonius totus in eo erat, ut Genuae quamprimum opem ferret, aspirantisque fortunae auram negligens, omnia de Mediolano expugnando consilia abjecerat, atque ab Urbinatè summopere flagitabat, ut, cum Venetorum copiis itinere arrepto, quo tutius res ad exitum perduceretur, eodem contenderet: neque vero quem ex Ticini expugnatione, ex incommodis hostium, & Mediolanensium desperatione, qui a Caesareanis omnia acerba, atque intoleranda patiebantur, fructum amitteret, dispiciebat. Sed hæc Borbonii consilia Senatui minime probabantur, tum quod victoriae spes, quæ jam præ manibus habebatur, hac consiliorum immutatione defereretur; tum quod minime suis rebus conducere arbitraretur, universas fere copias trans Apenninum mittere, Bergomumque & Cremam in finibus hostium satis haud dubiis periculis objectare; ac Francisco Sfortiæ aviti recuperandi imperii opportunitatem, quæ affulsiße videbatur, eripere. Ea de re ad Franciscum Borbonium Senatus scripserat, hortatus, ne feliciter coeptam Insubrum expeditionem defereret: Mediolano occupato, cuncta prospere cessura; quacumque se foederati exercitus converterint, nullas obsistentium vires experturos. Adeo Borbonii fixa erat menti concepta semel de Genua tentanda sententia, ut cum neque ratione, neque adhortationibus ab ea dimoveri posset, universis Gallorum copiis, trajecto ad portum Stellam Pado, iter per Hetruriam Genuam versus facturum proficisceretur. Venetorum copiae ad Ticinum, tum ad hostes coercendos, tum ut Genuensibus rebus quatenus fieri posset,

H. Mauroceni T. I.

T 3

fa.

1528

*Mandata
Gallorum
ad Borbonium, ut Genuam ad-
riatur.*

*Theodorus
Triultius
per nuncios,
se ad extre-
ma redactum
significat.
Francisci
Borbonii cõ-
silia de
Mediolanẽ-
si expugna-
tione relin-
quenda.*

*Venetorum
littera, ut
Borbonium
ab expedi-
tione Ge-
nuensis de-
moveant.*

*Franciscus
Borbonius
in Genuen-
ses profici-
scitur.*